

BX 1935

R 45

V. 2

MUSEO CANONICO

TRACTATUS DE IURIS

DE IURIS

DE IURIS

DE IURIS

DE IURIS

DE IURIS

DE IURIS

DE IURIS

DE IURIS

DE IURIS

DE IURIS

DE IURIS

DE IURIS

DE IURIS

DE IURIS

DE IURIS

DE IURIS

DE IURIS

DE IURIS

DE IURIS

DE IURIS

DE IURIS

DE IURIS

DE IURIS

DE IURIS

DE IURIS

DE IURIS

DE IURIS

DE IURIS

JURIS CANONICI

UNIVERSI

CLARA METHODO JUXTA TITULOS

QUINQUE LIBRORUM DECRETALIUM

In Quæstiones distributi solidisque Responsionibus
et objectionum Solutionibus dilucidati

LIBER PRIMUS.

TITULUS XXXI.

De Officio judicis ordinarii.

1. *Ratio continuationis titulorum.* — Viso hactenus de officio et potestate judicis delegati, ac legati in specie; nunc subjicitur rubrica *de Officio judicis ordinarii* in genere; haud obstante, quod in progressu præsentis tituli potissimum fiat mentio de officio archiepiscopi et episcopi. Suppositis igitur illis, quæ de jurisdictione ut sic ac variis differentiis judicis delegati et ordinarii, superius tit. XXIX § 1 et 2, jam dicta fuerunt; restat in specie disserere de iudice ordinario, ejusque officio, et variis ipsum concernentibus. Hinc sit

§ I.

DE HIS, QUI APPELLATIONE ORDINARII, ET
EPISCOPI VENIUNT.

2. *Ordinarius generatim, quis dicatur?* — Quæritur (Appellatione ordinarii, qui veniant? Resp. I. Generatim loquendo, *ordinarius* dicitur quilibet habens in loco ordinariam jurisdictionem: hoc est, qui alicubi habet jurisdictionem suo jure, non alieno be-

neficio, l. *More majorum*. ff. *de Jurisdic. omn. judic.* Ita Glossa in c. *Ordinarii*, §. *Locorum* h. t. in 6, juncto textu ibid. et in c. *Ut antiquarum de Constitut.* in 6. Abbas in c. *Cum olim* n. 2, et Fagnanus ibid. n. 8. *de Præscript.*; card. Tuschus, *Litt. O. Conclus.* 185, n. 1. et alii. Idque desumitur ex ipsa nominis etymologia: nam ly *Ordinarius* derivatur ab ordine, sicque impræsentiarum importat idem ac jurisdictionem illam, seu potestatem, quam princeps supremus (qualis Papa in Ecclesia catholica) servato ordine, ac juxta proportionem officiorum suorum, impartitur inferioribus, magistratibus, seu prælati.

3. *Differentia inter ordinarium et diocesenum.* — Atque ex his Abbas, loc. cit. colligit differentiam inter diocesenum et ordinarium. Nam *Diocesanus*, proprie dicitur solus episcopus: hoc enim vocabulo denotatur ille, qui præest toti diœcesi, quod convenit soli episcopo, arg. c. *Cum episcopus*, juncta Glossa ibid. §. *In tota sua*. h. t. in 6. *Ordinarius* vero appellatur, qui habet ordinariam jurisdictionem: unde nomen istud convenit cuilibet talem jurisdictionem habenti, ut puta capitulo Sede vacante, nec non prælati inferioribus respectu propriorum subditorum, c. *Cum ab Ecclesiarum*. 7. h. t.



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

2228

007582

4. *Diocessani nomine quis veniat?* — Unde Glossa in Clem. §. *Diocessani*, de *Jure patronat.* Abbas, loc. cit., et Fagnanus, ubi supra n. 7, inquit, quod, quando decretalis aliqua loquitur de diocessano, eo non procedat in inferioribus praelatis, licet habeant in loco jurisdictionem ordinariam; alioquin simpliciter dixisset *Ordinarius*, et non *Diocessanis*.

5. *Ob identitatem rationis hoc quandoque extenditur ad alium ordinarium.* — Intellige, dummodo materia subjecta non æqualiter sit apta concernere tam episcopum, quam alium ordinarium. Alioquin enim secus foret dicendum, ac nomen *Diocessani*, ob identitatem rationis extenderetur ad alium ordinarium; prout limitat Abbas cit. n. 2, et amplius in c. *Joannes*, n. 2, de *Testament.* Ubi textum illum, quod executor testamentarius « per diocessanum cogi debet testatoris explere ultimam voluntatem, » post Joan. Andream ibid. ampliat, atque intelligit etiam in illis, qui habent jurisdictionem episcopalem, vel quasi episcopalem in loco; ut multi abbates, et capitulum sede vacante, qui proinde possunt facere memoratam compulsionem. Nam mens citatæ decretalis verisimiliter non fuit ponderare officium episcopale, sed magis jurisdictionem episcopi, sicque ly *Diocessanum*, ob favorem ultimarum voluntatum, videtur large accipiendum, et ampliandum ad alios ordinarios consimili jurisdictione pollentes.

6. *Romanus Pontifex est Christi in terris vicarius ac ordinarius ordinariorum. Cur vocetur Papa?* — Quæritur II. Quinam in specie secundum canones veniant appellatione ordinarii? Resp. I. Inter ordinarios totius orbis christiani primum sibi locum vindicat Romanus Pontifex, Christi in terris vicarius, *Matth.* cap. xvi, 16-19; *Joan.* cap. xxi, 15-18 et c. *Quanto*, de *Translat. episcop.*; et c. *Solite*, de *Majorit. et obed.* et Extravag. *Unam sanctam*, eod. inter communes. Et alio receptissimo nomine appellatur *Papa*, id est, *Pater patrum*, ut explicat Glossa in Proœmio Clement. §. *Papa*. Qui est universalis Ecclesiæ episcopus, prout definit Pelagius II in constit. 1. quæ incipit *Manifesto*, ac refertur tom. I. *Bullarum Romani*, habens pro diocesi sua totum orbem. c. *Ad honorem*, de *Auctorit. et usu pallii*; Zerola in *Praxi episc.* part. I. §. *Pragmatica*. §. *Ad tertium*; Barbosa, part. III. de *Offic. et potest. episc.* allegat. 57, n. 2. Est que ordinarius ordinariorum, can. *Cuncta per mundum*, 9, q. 3, et Glossa in c. *Cum nullus*, §. *In eadem de Temporib. ordinat.* in 6 habens concurren-

tem potestatem cum omnibus ordinariis, cit c. *Cuncta per mundum*, et cap. ult. de *Foro compet.*, et c. *Si eo tempore*, de *Election.* in 6. cum similibus. Ita, ut ex omnibus mundi partibus liceat ad Papam appellare omisso etiam medio, can. *Ad Romanam*, 2. q. 6. Quique suam potestatem non ex hominibus, sed immediate a Deo habet; prout amplius dictum est supra, tit. II. de *Constitutionibus*, §. 3. n. 53, 54 et 55.

7. *Duplex in Papa distingui potest potestas, nimirum absoluta, seu suprema.* — Ubi notandum cum Abbate in c. *Accusatum*, n. 2, et de *Simonia*, Fagnano in c. *Consultationibus*, n. 72, et seqq. de *Cleric. aegrot.* et aliis, quod in Papa duplex possit distingui potestas, absoluta videlicet ac ordinaria. Potestas absoluta seu suprema Papæ dicitur illa, secundum quam Papa intelligitur esse supra omne jus positivum humanum, et proin supra id pro suo arbitrio dispensare, et disponere valet. Atque hæc alio nomine appellatur « Plenitudo potestatis; » de qua fit mentio in c. *Proposuit*, 4. de *Concess. præbend.*, ubi Pontifex illis ulitur verbis: « Qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare. » Verum hæc absoluta potestate non censetur Pontifex uti, nisi de hoc constet per appositam clausulam, « Non obstantibus, » etc., vel illam, « De apostolicæ potestatis plenitudine. » Abbas in c. *Innotuit*, n. 23, de *Election.*, citans Innocentium, Fagnanus, loc. cit. n. 73, et seqq. Et merito: nam cum jura sint fundata super ratione, can. *Erit autem lex*, dist. 5, non debet, nec solet Papa ab ipsis recedere sine gravi causa, et absque expressa declaratione.

8. *Et ordinaria.* — Potestas ordinaria Papæ dicitur ea, quæ est a jure regulata, hoc est, quæ sequitur ordinem juris positivi, ac regulatur ad limites dispositionis suæ. Et secundum banc Papæ non potest quempiam sine justa causa ab officio vel beneficio suo amovere, nec alia facere, quæ sunt contra dispositionem juris communi: haud obstante, quod talia facere possit secundum potestatem suam absolutam, seu de plenitudine potestatis. (ADNOTATIO I.)

9. *Ordinariorum nomine veniunt patriarchæ, primates, archiepiscopi et episcopi.* — Resp. II. Inter ordinarios quoque secundum canones connumerantur patriarchæ, primates, archiepiscopi et episcopi: adeoque ordinariorum nomine simpliciter prolato, hi omnes pro sua quisque provincia, vel diocesi, veniunt in-

telligendus. Ita communis; ac loquendo de episcopis, patet ex cap. 1. et c. *Conquerente*, 16, h. t. Quomodo autem archiepiscopo competat jurisdictio in subditos suorum suffraganeorum (nam respectu propriorum subditorum suæ diocesis habet se ut episcopus) dicitur in progressu.

10. *Primates, qui?* — Porro *Primates* dicuntur archiepiscopi quidam potentiores, eo vel maxime, quod primas teneant civitates, seu majores regant metropoles. Barbosa, lib. I. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. vi, n. 44, Engel, tit. de *Majorit. et obed.* n. 23.

11. *Patriarcha, quis et an sit idem ac primas?* — *Patriarcha* græce, latine *Summus patrum* interpretatur can. *Cleros*, §. *Patriarcha*, dist. 21. Et quod saltem late sumpto vocabulo idem sit *Primas*, quod *Patriarcha*, colligitur ex can. 1 et 2, dist. 99. Unde Glossa 1 in c. *Coram*, de *in integrum restitut.* exinde concludit, quod primatia et patriarchatus una tantum dignitas sit, licet nomina sint diversa. Verum stricte loquendo primates non idem habent officium, eandemque auctoritatem, quam habent patriarchæ, prout late ostendit Barbosa, loc. cit. cap. vi, numer. 40, et seqq.

12. *Vicarius generalis episcopi venit nomine ordinarii.* — Resp. III. Etiam vicarius generalis episcopi, et capitulum Sede vacante, veniunt nomine ordinarii. Prior pars est Glossæ in c. *Romana*, §. *Generaliter de Appellat.* in 6, eamque tenet Covarruvias lib. III. *Var. resolut.* cap. xx, n. 4; Barbosa, part. II, de *Offic. et potest. episc.* allegat. 32, n. 28, et n. 118, et alii qui volunt jurisdictionem vicarii generalis esse ordinariam, et non delegatam juxta dicta tit. de *Officio vicarii*, §. 4, n. 91, et seqq. Nam ex hac doctrina illico sequitur eum venire nomine *Ordinarii*.

13. *Sicut et capitulum sede vacante.* — Altera pars loquens de capitulo sede vacante, ex eo patet: quia sede vacante potestas, seu jurisdictio episcopi devolvitur ad capitulum; ut c. *Cum olim*, 14 de *Majorit. et obed.* et docet Glossa ibid. §. *Capitulo*, communiter recepta. Unde illud potest omnia exercere, quæcumque pertinent jure communi ad ordinariam episcopi jurisdictionem, exceptis dumtaxat specialiter prohibitis. Barbosa, loc. cit. allegat. 37, n. 9, et alii, quos citat; ergo sicut episcopus, ita et capitulum sede vacante venit nomine ordinarii.

14. *Imo et quicumque praelatus inferior in materia sibi adaptabili.* — Resp. IV. Tandem

ordinarii appellatione venit quicumque praelatus inferior, habens jurisdictionem ordinariam, quando materia, super qua verbum illud ponitur, est ipsi adaptabilis, ac æqualiter competens. Ita desumitur ex c. *Cum ab Ecclesiarum*, juncta Glossa ibid. §. *Ecclesiastica*, h. t. ac tradit Rota, decis. 798, n. 3, part. I. *Recent.* apud Farinacium; Barbosa de *Appellat. verb. juris signif. appellat.* 177, n. 4, citans plurimos alios. Quia enim quicumque praelati respectu suorum subditorum ordinaria gaudent jurisdictione, haud immerito nomine ordinarii absolute prolato intelliguntur quotiescumque materia subjecta etiam inferioribus est adaptabilis; secus autem, si non omnibus æqualiter competeret, sicque materia subjecta aliud suaderet. Ludov. Gomecius repetit. in c. *Ut animarum*, nu. 63. de *Constitut.* in 6.

15. *Decretum quidpiam statuens de ordinariis, extenditur ad omnes jurisdictionem ordinariam habentes, nisi subjecta materia aliud exposcat.* — Infertur proinde, quod si in aliquo juris decreto quidpiam ordinariis committitur, vel de ordinariis statuitur, nisi subjecta materia aliud exposcat, illud non ad episcopos tantum, sed etiam ad omnes habentes jurisdictionem ordinariam extendatur. Glossa in c. *Ordinarii*, §. *Locorum*, h. t. 6, id exemplificans in potestate ordinaria instituendi et destituendi in beneficiis ecclesiasticis. Nicol. Garcias de *Beneficiis*, part. V. cap. iv. num. 2; Barbosa cit. *Appellativo* 177, num. 2, et seqq. et alii.

16. *Episcopi nomine veniunt archiepiscopi, primates et patriarchæ.* — Quæritur III. Quis nomine episcopi intelligatur, et an eo nomine quandoque veniant inferiores ordinarii? Et notanter additur, « inferiores. » Nam, quod episcoporum appellatione veniant superiores, ut puta archiepiscopi, primates, et patriarchæ, textus est in can. *Cleros*, §. *Omnes autem*, dist. 21. et notat Glossa singularis in c. *Quia periculosum*, §. *De Episcopis*, de *Sentent. excommunic.* in 6. Quia (inquit) non est superiorem ordinem episcopo reperire, et sic etiam Papa se vocat episcopum: unde eo ipso, quod de episcopis exprimitur, veniunt superiores.

17. *Limitatur hoc in odiosis et materia correctoria.* — Dummodo tamen hoc limitetur in odiosis, ac in materia correctoria, quæ sunt strictæ interpretationis: nam si illegitimus a Papa dispensetur ad episcopatum, non idcirco censetur dispensatus ad archiepiscopatum,

arg. cap. 1 et 2, de *Filiis presbyt.* in 6; Barbosa, de *Appellat. verb. Jur. signif.* appellativo, 89, n. 2, et seqq. citans alios. Quibus prenotatis,

18. *Appellatione episcopi proprie non venit, nisi in episcopum consecratus.* — Resp. I. Appellatione episcopi vere ac proprie non venit nisi in episcopum consecratus. Ita Abbas in c. *Eam te*, n. 2, de *Rescript.* et alii proxime citandi. Ratio est, quia episcopatus est verus ordo, et non simplex dignitas in Ecclesia Dei. Unde in can. *Qui episcopatum*, 8, q. 1. optime dicitur, quod « Episcopatus nomen est operis, non honoris. »

19. *Non item electus in episcopum, et confirmatus.* — Et hoc adeo verum est, ut stricte ac proprie loquendo, appellatione episcoporum etiam non veniant electi in episcopos, et confirmati, arg. c. *Tua*, 8. De *his que fiunt a praelat.* ibi: « Episcopo, vel electo, » juncto Pontificali Romano, tit. *De consecratione electi in episcopum*, ubi tales non appellantur simpliciter *Episcopi*, sed cum addito, « Electi. » Glossa in cap. 1, §. *Dedicanda, de Religios. domib.*, et in Clement. 2, in casu, et §. *Pontificum, de Celebrat. Missar.*, et in Clem. 1. §. *Quamvis pontificem, de Penit.*; Abbas in d. c. *Eam te*, n. 2, de *Rescript.*; Emman. Rodericus, tom. I. *Quest. regul.* q. 18, art. 2; Barbosa, cit. appellat. 89, n. 5; card. Tuschus, litt. E. concl. 233, n. 1, et alii. Quia donec sit consecratus, remanet electus; consecratio autem facit eum esse episcopum. Felinus in c. *Meminimus a princip. de Accusat.*, inde inferens, quod civitas occidens electum, non incurrat pœnam, quam incurreret occidendo episcopum.

20. *Nisi loquendo in illis, quæ spectant dumtaxat ad jurisdictionem.* — Fatendum tamen, quod in illis, quæ spectant ad jurisdictionem et non ad ordinem, nomine episcopi veniat etiam electus, et confirmatus, per textum notabilem in c. *Transmissam*, 15. de *Election.* Ubi proin Abbas in *Summario* generaliter docet, quod episcopus electus, et confirmatus, sed nondum consecratus, possit ea, quæ sunt ordinis episcopalis: hæc enim primum transferuntur in eum per consecrationem. Concordat Glossa in Clem. 1. §. *Episcopis, de Foro compet.*, et communis.

21. *Episcoporum appellatione quoad pertinentia ad eorum jurisdictionem, aliquando veniunt soli episcopi.* — Resp. II. Episcoporum appellatione, ac loquendo de pertinentibus ad eorum jurisdictionem, veniunt aliquando

episcopi tantum, aliquando etiam praelati inferiores jurisdictionem quasi episcopalem habentes. Ita Barbosa cit. appellat. 89, n. 15, et seqq. Atque in particularibus casibus num hoc vel illo modo episcopi nomen veniat, discernendum erit potissimum ex apposis, vel non apposis, certis clausulis, seu dictionibus, ipsaque subjecta materia, stylo Curiae Romanæ, aliisque hujusmodi circumstantiis. Quod ipsum declaratur exemplis.

22. *Ut in recognitione miraculorum.* — Sic imprimis recognitione miraculorum non spectat ad alium, quam ad episcopum, juxta concilium Trident. sess. 23. de *Invocat. et venerat. Sanctorum*, ibid: « Nisi eodem recognoscante, et approbante episcopo. » Ubi ponderanda dicta illa, *Nisi*, quæ nabent vim dictionis taxativæ. Barbosa, part. III. de *Offic. et potest. episcop.* allegat. 97. n. 9; Aloys. Riccius, in *Praxi rerum fori ecclesiast.* decis. 563, in 1. edit. alias resolut. 483 in 2 edit., et alii.

23. *In causis matrimonialibus.* — Similiter « Causæ matrimoniales, et criminales, — episcopi tantum examini, et jurisdictioni relinquuntur, » juxta concilium Trident. sess. 24, cap. xx. de *Reform.* Ac proinde, quia idem concilium utitur dictione taxativa, *Tantum*, non posse abbates quantumvis exemptos, et jurisdictionem quasi episcopalem habentes, de causis matrimonialibus cognoscere tenuit Rota coram D. Coccino, decis. 346, n. 8, inter ejus impressas, et refert Barbosa cit. part. III, allegat. 84, num. 2. et alii. Concordant dicta superius, tit. XXIII, *De Officio archidiaconi*, n. 12, et seqq.

24. *Et in monitoriis, quæ dantur ad finem revelationis rerum deperditarum.* — Rursus, quod monitoria, quæ fiunt ad finem revelationis, pro rebus deperditis, seu subtractis, a « nemine prorsus præterquam ab episcopo discernantur, » statuit idem concilium Trident., sess. 25, cap. III, de *Reform.* Unde propter additam dictionem taxativam, *Præterquam*, non posse talia monitoria decerni per praelatos ordinarios, etiam exemptos, episcopo inferiores, a sac. Congregatione decisum esse refert Nicol. Garcias, part. V, de *Beneficiis*, cap. VIII, n. 95; Barbosa in cit. appellat. 89, n. 17, allegans alios. Tacentur similia.

25. *Aliquando episcoporum appellatione etiam veniunt inferiores praelati, jurisdictionem quasi episcopalem habentes.* — Econtra, quod appellatione episcoporum, in spectantibus ad jurisdictionem quandoque veniant praelati infe-

riores, jurisdictionem quasi episcopalem habentes, ac vel maxime ubi indefinite, et sine aliqua dictione exclusiva, sit episcoporum mentio, declaratur inductione. Sic imprimis praelati regulares, jurisdictionem quasi episcopalem habentes, respectu priorum subditorum utuntur facultate dispensandi in occultis irregularitatibus, etc., atque absolventi suos subditos a quibuscumque casibus occultis etiam Sedi apostolicæ reservatis; prout concessum est episcopis in concilio Trident., sess. 24, cap. VI, de *Reform.* Emman. Rodericus, tom. I. *Quest. regul.*, quæst. 61, art. 9, et alii. Et merito, ne deterioris conditionis debeant esse regulares exempti, quam sæculares episcopis subjecti.

26. *Idque exemplificatur.* — Deinde, quod decretum concilii Tridentini, sess. 21, cap. VIII, de *Reform.*, loquens de visitatione ab episcopis quotannis peragenda, extendatur etiam ad inferiores praelatos jurisdictionem habentes, tradit Azorius part. I, lib. XII, cap. XVIII, et Barbosa de appellat. 89, n. 20. Nam par ratio militat in istis respectu priorum subditorum, quæ in episcopis. Omittuntur plura his similia.

27. *Episcopi nomine, an veniat vicarius generalis, ac delegatus ipsius?* — Resp. III. Nominis episcopi simpliciter prolatis, venit etiam vicarius generalis ipsius, ubi is non reperitur exclusus, et delegatus episcopi habens ad hoc speciale mandatum. Ita Glossa in cap. un. §. *Per Episcopos, de Capellat. monach.* in 6 dicens, quod intelligantur per episcopos a suis Ecclesiis removeri, qui per vicarios ad hoc mandatum habentes, vel per delegatos remonentur; ut c. *Licet, de Offic. vicarii*, in 6 et c. *Qui per alium, de Reg. jur.* in 6; Nicol. Garcias, d. part. v, cap. VIII, n. 95; Layman in c. *Cum in generali*, n. 9, §. *Limitari de Offic. vicarii*, in 6, id limitans, ubi episcopus quædam sibi specialiter reservavit. Barbosa, cit. appellat. 89, n. 25, cum aliis pluribus. Desumitur hoc præter jura jam allegata, ulterius ex concilio Trident., sess. 24, cap. VI, de *Reformat.* ubi, cum voluit vicarium excludere a potestate absolventi a crimine hæresis, id expressit dicens: « Eis (episcopis) tantum non eorum vicariis sit permissum. » Accedit, quod in c. *Si hæredes*, 6, et c. *Tua nobis*, 17. de *Testament.* expresse dicatur, per episcopum loci, sive (ut dicitur in c. *Joannes*, 19, eod.) per diocesanum, hæredes, ipsosque testamentorum executores esse compellendos ad implenda jussa testatoris: et tamen hoc

etiam fieri posse per vicarium generalem, ac per capitulum sede vacante, utpote in quod potestas ordinaria episcopi devolvitur, jam dictum est supra n. 5.

28. *Parochi an veniant nomine praelatorum, seu ordinariorum? Plebanus quis?* — Quæritur IV. Utrum parochi veniant nomine praelatorum, sive ordinariorum jurisdictionem in foro externo habentium? Ratio dubitandi, et affirmativam tenendi, desumitur ex c. *Cum Ecclesiarum*, 3, h. t. ubi plebanus, cujus nomine intelligitur parochus, seu curatus, plebis sibi commissæ curam gerens, connumeratur inter Ecclesiarum praelatos; et censetur habere potestatem in clericos vel laicos parochianos suos, interdicti ac excommunicationis sententiam ex rationabili causa ferendi; atqui hoc spectat ad jurisdictionem fori externi, et contentiosi, arg. c. *Quærenti, de Verb. signif.* cap. 1, de *Sentent. excommunicat.* in 6, ergo. Verum his non obstantibus

29. *Parochi spectato jure communi, non habent jurisdictionem in foro externo, sed penitentiali tantum.* — Resp. I. Parochi locorum spectato juris communis jurisdictionem in foro externo non exercent, sed tantum in foro penitentiali: adeoque secluso speciali privilegio, nec excommunicare, aut alias censuras ferre possunt, nec proprio nomine praelatorum, sive ordinariorum jurisdictionem in foro externo habentium veniunt. Ita desumitur ex can. *De persona*, 11, q. 1. juncta Glossa ibid. §. *Non ab alio*. Item ex Clem. *Dudum de sepult.*, ubi specialis mentio fit de praelatis, et specialis de parochis, seu rectoribus parochialium Ecclesiarum; ac notat Abbas in c. *Si sacerdos*, n. 10, h. t. et d. c. *Cum ab Ecclesiarum*, num. 1, et Layman ibid. num. 4 et alii.

30. *Solvitur instantia ex c. Cum ab Ecclesiarum, h. t. desumpta.* — Nec obstat textus, in cit. c. *Cum ab Ecclesiarum*, h. t. Nam plebanus ille, qui ibidem dicitur potestatem excommunicandi habuisse, non erat simplex parochus, seu curatus, cum inter praelatos numeretur: sed de jure speciali, ut puta ex privilegio, vel præscriptione, obtinebat jurisdictionem in foro externo, ac potestatem excommunicandi, non autem de jure communi; Abbas in cit. c. *Cum ab Ecclesiarum*, n. 1, et Barbosa, ibid. n. 3; Pirhing, h. t. num. 75, citans insuper Innocentium in c. *Quanto*, n. 2, h. t.

31. *Parochus non nisi large dicitur praelatus.* — Atque hac ratione, videlicet ob jurisdictionem

nam in foro externo ex speciali jure obtentam, merito plebanus ille inter praelatos connumeratur. Alioquin autem parochus, seu simplex curatus, non nisi large loquendo potest dici *Praelatus*, quatenus praest parochianis in foro animæ, et sic eisdem quasi est « praelatus, seu ante latus: » sed strictè illi soli dicuntur praelati, qui habent jurisdictionem quamdam fori contentiosi. Abbas d. n. 1. (ADNOTATIO II.)

§ II.

DE JURISDICTIONE ARCHIEPISCOPI IN SUFFRAGANEOS, HORUMQUE SUBDITOS.

32. *Archiepiscopus, unde sic dicatur? Appellatur alio nomine metropolitanus; et cur?* — Queritur I. An, et qualem jurisdictionem archiepiscopus habeat in suffraganeos episcopos? Ubi prænотandum, quod *Archiepiscopus* sic dicitur a græco verbo ἄρχιεπίσκοπος, quod latine significat *Princeps*, quasi ipse sit princeps episcoporum, suæ videlicet provinciæ, can. *Cleros*, dist. 21 et hic alio nomine appellatur *Metropolitanus*, vel a mensura civitatum; quia quælibet provincia, cui praest metropolitanus, decem, aut undecim civitates, et totidem suffraganeos episcopos, olim sub se continere solebat, can. *Scitote*, 6. q. 3; vel dicitur *Metropolitanus* a *Μετροπ*, quod est *Mater*, et *Πολις*, quod est *civitas*; quia nimirum archiepiscopalis Ecclesia est sita in metropoli caeterarum civitatum, atque ipsa existit quasi Mater aliarum Ecclesiarum totius provinciæ, can. *De iis*, dist. 12 et notat Glossa in cit. can. *Cleros* 7. A mensura, et Abbas in c. *Suffraganeis* n. 1 de *Election*.

33. *Potest dari archiepiscopus, qui non sit proprie metropolitanus.* — Aequè hæc procedunt ordinariè loquendo. Contingit enim aliquando, ut quis sit archiepiscopus, et tamen non metropolitanus proprie, ac in præfato sensu; eo quod nullum sub se habeat episcopum suffraganeum. Prout non habere Rosanensem, et Lancianensem archiepiscopos refert Barbosa, lib. I. *Jur. Eccles. univ.* cap. VII num. 7; Concordat Azorius, part. II lib. III. cap. XXXIII q. 1. et Pirhing h. t. numero 13.

34. *Episcopi metropolitano subjecti, dicuntur suffraganei ipsius; et cur?* — Perro episcopi metropolitano subjecti, in jure appellantur *Suffraganei ipsius*; ut de can. *Scitote*, 6. q. 3. et c. *Suffraganeis* 11 de *Elect.* et cap. I.

de Foro compet. in 6. Idque dicitur a *suffragando*; quia videlicet caeteri provinciæ episcopi suffragantur archiepiscopo in officio episcopali; puta in consecrando alios episcopos. celebrando concilia, et hujusmodi. Abbas cit. n. 1. et alii. His prænотatis,

35. *Archiepiscopus habet jurisdictionem in suffraganeos suos. potestque ipsis præcipere, etc.* — Resp. I. Archiepiscopus habet jurisdictionem ordinariam in omnes suffraganeos non exemptos suæ provinciæ: unde tanquam ordinarius, atque immediatus eorum superior, potest iisdem præcipere quæ ad ipsorum spectant officium, atque etiam compellere negligentes per censuras ecclesiasticas ad præstandum officium suum; ut puta, quod in Ecclesiis suis resideant, justitiam subditis administrent, synodos debitis temporibus celebrent, ac alia hujusmodi faciant, quæ debent. Ita Barbosa, cit. lib. I. *Jur. Eccles. univ.* cap. VII n. 18 et seqq. singula amplius deducens. Idipsum desumitur ex can. 1. et seqq. 9. quæst. 3. et cap. *Pastoralis*, 11 § 1. h. t. ibi: « Licet episcopus suus eidem (archiepiscopo) sit metropolitana lege subjectus. » Ubi Abbas n. 2, inde concludit, quod archiepiscopus sit *judex ordinariè omnium episcoporum suæ provinciæ*, ac æ horum excessibus parvis possit cognoscere, ipsosque suffraganeos episcopos punire, can. *Quia cognovimus*, 10 q. 3.

36. *Ac in eosdem proferre censuras, spectato jure antiquo.* — Concordat c. *Romana* § fin. h. t. ubi archiepiscopus justa de causa potest interdicti, suspensionis, vel excommunicationis sententiam in suffraganeos suos proferre, dummodo hoc præstet per se, et non per vicarium generalem, utpote cui ob reverentiam pontificalis officii istud ibidem prohibetur, simulque non statim ad excommunicationem deveniat. sed incipiendo a leviori censura prius ingressum Ecclesiæ interdicit. Engel, tit. de *Majorit. et obed.* § 4. n. 29; Sannig. h. t. cap. v. n. 10, et alii. Atque hæc procedunt spectato jure antiquo.

37. *De facto quoad causas criminales episcoporum observanda est decretum concilii Tridentini.* — Verumtamen de facto observandum est decretum concilii Tridentini, sess. 24, cap. v. de *Reform.*, ubi mature statutum fuit, quod minores criminales causæ episcoporum in concilio tantum provinciali cognoscantur, et determinantur, vel a deputatis per concilium provinciale, causæ vero criminales graviores contra episcopos, quæ depositione

aut privatione dignæ sunt, ab ipso tantum summo Pontifice cognoscantur, et terminentur. Unde liquet, quod jure novo non parum restricta fuerit dicta potestas archiepiscoporum procedendi contra episcopos suffraganeos, circa causas horum criminales. (ADNOTATIO III.)

38. *An archiepiscopus de facto cognoscat de causis civilibus suffraganei, per proprium subditum coram eo conventi?* — Dicitur notanter, « circa causas horum criminales. » Nam loquendo de causis civilibus, adhuc de facto metropolitanus cognoscit de ipsis, quando subditus suffraganei coram ipso convenit proprium episcopum in causa aliqua mere civili. Ratio est, quia circa causas civiles nihil reperitur immutatum in concilio Tridentino, sicque remanet jus antiquum in suo vigore, L. *Præcipimus* c. de *Appellat.* Atqui de jure antiquo generale est, quod actor debeat sequi forum rei, et hunc convenire coram iudice suo ordinario; qualis respectu episcopi est archiepiscopus. Abbas in cit. c. *Pastoralis*, n. 2. h. t.; Engel, loc. cit. n. 28. Quamvis Barbosa, lib. I. *Jur. Eccles. univ.* cap. VII. n. 46. alleget quamdam declarationem sac. Congregationis cardinalium, negotiis episcoporum et regularium præpositorum, de anno 1588 die 31 maii, ubi censuit archiepiscopum non posse esse iudicem in causis civilibus, quæ agitantur contra episcopos suffraganeos. Verum, donec dicta declaratio in forma authentica exhibeatur, haud immerito de ipsa dubitari potest, ob rationem jam dictam, et amplius ostendit Engel, loc. cit., aut forsitan ipsa loquitur de causis civilibus in aliquo delicto episcopi fundatis.

39. *Et quid, si suffraganeus proprium subditum convenire velit?* — Quod si autem episcopus, qui in propria causa iudex esse non potest, subditum suum convenire velit, id non coram archiepiscopo fieri poterit. Archiepiscopus quippe non habet jurisdictionem in subditos sui suffraganei, præter casus in jure expressos, prout proxime amplius dicetur. Igilur in tali casu vel ad summum Pontificem, aut ejus legatum erit recurrendum; vel communi consensu, ac juris necessitate, debent eligi arbitri, qui causam illam audiant, atque terminent, can. *Si Clericus* 11. q. 1. Abbas cit. n. 2. Engel, ubi supra, n. 30.

40. *Archiepiscopus non habet jurisdictionem in subditos sui suffraganei, præter casus in jure expressos.* — Queritur II. An, et in quibus casibus habeat archiepiscopus jurisdictionem

in subditos sui suffraganei? Resp. I. Licet archiepiscopus habeat jurisdictionem ordinariam in episcopos suffraganeos, ut dictum; tamen in subditos eorum jurisdictionem non habet, nisi in casibus a jure expressis. Ita communis, et habetur in can. *Nullus, et can. Conquestus*, 9, quæst. 3, addita illa ratione: « Quia nec antiquitas hoc habet, et auctoritas sacrorum canonum penitus interdicet. » Primate enim, et patriarchæ (ac multo magis archiepiscopi) nihil privilegii habent præ caeteris episcopis, nisi quatenus sacri canones concedunt, et prisca consuetudo illis antiquitus contuit. Idem in c. *Pastoralis* 11. h. t. expressius habetur, dum ibi dicitur de archiepiscopo, « quod in subditum suffraganei, exceptis quibusdam articulis, nullam habeat potestatem. » Concordat c. *Duo simul*, 9. h. t. et c. *Venerabilibus*, 7, § I. de *Sent. excomm.* in 6 cum similibus. Idque merito statutum fuit, si sua unicuique episcopo jurisdictio non servatur, ecclesiasticus ordo confundatur, can. *Pervenit ad nos*, 11 q. 1.

41. *Nec obstat regula: Si vinco vincentem te, multo magis vinco te: Cur?* — Unde in præsentiarum locum non habet vulgata illa regula: « Si vinco vincentem te, multo magis vinco te, » ac desumitur ex l. de *Accessionibus*, ff. de *Divers. et temporal. præscript.* et can. *Rogamus*, 24, q. 1 et c. *Auctoritate* 7 de *Concess. præbend.* in 6. Nam regula illi non procedit, quando eadem vis seu causa, quæ est in vincente te (puta, in episcopo proprium subditum vincente) non concurrat in eo, qui vincit vincentem te, puta in archiepiscopo; quia episcopus habet jurisdictionem respectu proprii subditi; archiepiscopus vero, licet habeat jurisdictionem in suffraganeum, non tamen habet jurisdictionem in ejus subditum, præter casus in jure expressos.

42. *Archiepiscopus est iudex ordinarius totius provinciæ; et quomodo.* — Nec obstat, quod archiepiscopus sit iudex ordinarius totius provinciæ, ac ejus gerat sollicitudinem, et can. *Per singulas*, 9 q. 3. Resp. enim cum Glossa in c. *Pastoralis*, 7. *Exceptis quibusdam articulis*, h. t. inde non sequi, quod etiam cujuslibet de provincia sit iudex ordinarius, nisi in casibus specialiter exceptis: nam jurisdictio archiepiscopi quam habet super totam provinciam, est impedita et ligata respectu singulorum, donec occurrat casus specialiter exceptus. Vel brevius dic cum Innocentio, quem citat et sequitur Abbas in cit. c. *Pastoralis*, n. 8. quod archiepiscopus ha-